Brocki Matthiae: Quaestio physica ex libro 3. Aristo.
telis de anima, de intellectu possibili et agente.

Borzecki Matthias

Quaestio physica de intellectu possibili et agente



IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO PHYSICA,

Ex Libro 3. Aristotelis de Anima,
De Intellectu possibili, & agente;
SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,
Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini,

D. M. JACOBI BALTAZAROWIC,

S. TH: DOCTORIS, ET PROFESSORIS,
Collegij Maioris Senioris Patris, Ecclesiarũ, Cathedralis Crac: CANONICI, Collegiatæ SS: Omnium PRÆPOSITI, Curati Prossouiensis, Contubernij Staringeliani PROVISORIS,
Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis,
GENERALIS, & VIGILANTISSIMI
RECTORIS,

A
M. MATHIA BROCKI,
Philosophiæ Doctore, Ordinario Eloquentiæ in Collegio Minori Professore,

Pro Collegio Maiori,
PUBLICÈ ad DISPUTANDUM
PROPOSITA.
In Perauguſto DD. Theologorum Lectorio,
Anno Salutis 1684. Die 27. Mensis Iunij Hora 10.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

QVÆSTIO PHYSICA.

V. Intellectus poſsibilis, qui eſt pura potentia in genere intelligibilium, habens pro Obiecto proportionato & per ſe primo, in ſtatu abſtractionis, quidditates rerum Spiritualium; & ſeruans identitatem realem cum memoria intellectiua; diſtinguatur realiter ab intellectu agente, nec ne?

CONCLUSIO I.

INtellectus poſſibilis, eſt pura potentia in genere intelligibilium.

COROLLARIA.

I. *Intellectus poſſibilis, vi ſuâ Naturali, poteſt omnia intelligibilia comprehendere.*

II. *Intellectus poſſibilis, non eſt pura potentia in genere entis.*

III. *Entitatem propriam actualem, non excludit a ſe intellectus poſſibilis.*

IV. *Intellectus poſſibilis, eſt potentia Spiritualis, immediatè ſubiectata in anima rationali.*

V. *Adeò Spiritualitatem retinet intellectus poſſibilis; vt nulli vnquàm organo corporeo affigi velit.*

CONCLUSIO II.

OBiectum proportionatum, & per ſe primum intellectus poſſibilis, in ſtatu abſtractionis ſunt quidditates rerum Spiritualium, conuenientium cum illo, in eodem gradu immaterialitatis.

COROLLARIA.

I. *Substantiæ separatæ sunt omninò Spirituales, & segregatæ à Materia.*

II. *Substantiæ Angelicæ, non sunt Obiectum proportionatum per se primò intellectûs nostri, in statu separationis.*

III. *Cognitio Naturalis animæ nostræ separatæ, est imperfecta, & deficiens circa Naturam Angelicam.*

IV. *Intellectus humanus, vt abstrahit à statu vitæ, & à statu separationis, præscindit ab obiecto proportionato.*

V. *Conuenientia, quam habet intellectus humanus pro hoc statu, cum Substantiis seu quidditatibus Spiritualibus: est tantùm quoad entitatem; non autem quoad modum essendi.*

CONCLUSIO III.

MEmoria intellectiua, est eadem realiter cum intellectu possibili.

COROLLARIA.

I. *Proprietates tàm memoriæ intellectiuæ, quàm intellectûs possibilis, non discriminantur ad inuicem inter se, & à se.*

II. *Æquè intellectus possibilis, atq; memoria intellectiua, conseruant species intelligibiles.*

III. *Per phantasmata excitantur species intelligibiles, quibus vtendo intellectus, reminiscitur talis vel talis Obiecti.*

IV. *Tam intellectus possibilis, quàm memoria intellectiua, elicit, & recipit actus.*

V. *Memoria intellectiua, prout est potentia Spiritualis, residet in parte intellectiua animæ rationalis.*

CONCLUSIO IV.

POssibilis intellectus, realiter distinguitur ab intellectu agente.

COROLLARIA.

I. *Diuersa est intellectio intellectûs agentis, ab intellectu possibili.*

II. *Præcipuum munus intellectûs agentis est, illuminare phantasmata.*

III. *Intellectus agens, non est aliquid ab anima separatum; sed est potentia, animæ nostræ inhærens.*

IV. *Intellectus possibilis, est simpliciter nobilior intellectu agente.*

V. *Vt Obiectum vtriusq; intellectus prædicti, est diuersum; ita & actus eorum sunt diuersi.*

D. O. M. qui intellectum dat paruulis, Honor & Gloria; Sedi Sapientiæ, Sanctissimæ DEIparæ Virgini MARIÆ immaculatè conceptæ, Cultus & Veneratio; Beatis Indigetibus cælorum, qui à DEO facti sunt in intellectu, præcipuè Diuo IOANNI CANTIO Patriarchæ Nostro, sapiens cor & docile omnibus desuper impetranti; & aliis Regni, ac Archilycei Cracouiensis Patronis, deuotæ mentis victima.



Permissu Magnifici Domini RECTORIS.

